

librorum nomine veniunt. Excipe casum quo magno numero multiplicata publice, libri instar, venalia prostent.

In prioribus editionibus opinati sumus manuscripta non prohiberi lege positiva, etiam a. 19, in quo legislator commemorat *scripta*. Nunc, remelius perpensa, contrariam sententiam amplectimur, moti consensu interpretum in eodem articulo explicando. Ratio praecipua est, proprium hujus vocis sensum complecti quaelibet *scripta*. Accedit decretum a S. C. Indicis datum 17 Apr. 1896, quo declaravit, damnato a S. Off. cultu privato divinarum manuum Salvatoris nostri, prohiberi "omnia *scripta*, sive typis edita, sive non.," (Act. S. S. t. 28. p. 640)

**QUAER. II.** Num eaedem prohibitions extendantur ad *scripta* non periodica, quae typis quidem mandata, sed valde exigua sunt (brochures, feuilles volantes).

**RESP.** Probabiliter hujusmodi *scripta* minuta non prohibentur lege positiva nisi diserte commemoremntur. Ita plures, tum veteres quos enumerat et videtur sequi S. Alph. (Append. de proh. libr. c. 5. n. 8), tum recentes, ut D'Annib. (l. c.), Sabetti (Theol. Mor. n. 979), Berardi (de Recid. t. II. n. 214 seqq.), Penn. (n. 38), etc. Etenim cum lex ista stricte interpretanda sit (n. 451), vox *libri*, ubi sola prostat, nequit extendi ad ea *scripta* exigua quae, usu communi, numquam proprie hoc nomine vocantur. Neque alia ratio appetit ob quam in quibusdam regulis *scripta* minoris molis explicite enumerentur, puta "libri aut *scripta*," (a. 13), "Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia," (a. 17), "libros aut libellos precum," (a. 20). Quaenam moles ad librum veri nominis requiratur, potius ex usu recepto quam determinato foliorum numero definiendum ducimus.

## § 2. OFFICIA EX HAC PROHIBITIONE ORIUNDA.

**455.** Prohibitiones his novis Decretis Generalibus editae, necnon singulorum librorum proscriptiones a S. Sede factae, omnes fideles ubique gentium adstringunt. Diserte enim edicit Leo XIII: "Decreta Generalia statuimus... quibus catholici homines toto orbe religiose pareant." Atque a. 45: "Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur et in quocumque vertantur idioma." (1) Tandem, in fine

(1) S. C. Indicis 23 Maii 1898 interrogata: "Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas facita dispensatione frui quidam arbitrantur," respondit: "Affirmative. Attamen episcopis

harum Litterarum, jubet R. P. quaecumque in iis habentur inviolabiliter ab omnibus observari, contrariis non obstantibus quibuscumque. Ob has tam urgentes praecipiendi formulas, existimamus neminem posse se tueri a servandis praesentis Constitutionis legibus, ope consuetudinis contrariae: quamquam, ob benignum ejusdem spiritum, videtur licitum illos usus retinere qui veteribus regulis hodie servatis quaedam tempe- ramenta adjecerant, ut supradiximus de scriptis veterum haereticorum et de quibusdam partibus ss. Bibliorum edendis absque notis. Haec enim leges novas explicant potius quam tollunt.

Proscriptione cuiuslibet *scripti* vetantur quattuor, quae breviter similatim explicabimus: lectio, retentio, impressio, defensio. Cfr. a. 47. Quae censurae ob violatas hujusmodi prohibitions incurvantur, dicetur Vol. II. nn. 587 et 611. Pauca addemus de licentia legendi et retinendi libros prohibitos.

**I. Lectio** prohibita intellegenda est formalis, qua legens simul intellegat quae *scripta* sunt, non mere materialis, qua characteres tantum oculo perspiciat. (D'Annib. III. n. 142) Illa enim sola *lectio* proprio sensu dicitur, nec quidquam amplius requirit finis legis. Hinc legem positivam non violat qui legentem audit, quamvis iste ipsius jussu legat (Lugo, de Fide, disp. 21. n. 75), neque qui legit librum scriptum lingua quam ignorat.

Extenditur prohibitio ad partes etiam accessorias libri damnati, puta ad prologum, indicem, etc. Si in opere quod pluribus tomis constat, error ob quem opus reprobatur, in uno tantum continetur, reliqui tomii non sunt censendi prohibiti, nisi argumentum tale sit ut nullam divisionem recipiat. (Lugo, l. c. n. 60; D'Annib. III. n. 141. nota 10) Probabiliter "cessat prohibitio si eam partem quae prohibitioni causam dedit, detraxeris, vel deleveris, vel induxeris ut amplius legi nequeat, dumne liber proscriptus fuerit... in odium auctoris." (D'Annib. l. c.)

Certum est lectionem lege vetitam *admittere parvitatem materiae*. Ita numquam mortale peccatum committet qui leget librum qui prohibetur tantum quia sine requisita licentia editus est, quales sunt libelli devotionis sine approbatione editi (n. 453, 4<sup>o</sup>). In iis vero qui propter doctrinam vel turpititudinem reprobantur, mensura gravis peccati, minus e numero linearum quae percurruntur quam e fine legis sumenda est. Si quis etiam paucas lineas legit in quibus advertit contineri quae directe fidei vel bonis moribus adversentur, graviter peccabit cum in his

Angliae amplas facultates a S. Sede concessas esse ut permitterent fideles sibi commissos pergere in consuetudinibus quae huic Constitutioni contrariae sint, refert periodicum *The Tablet* 18 Dec. 1897.

perversionis periculum esse possit. Ubi vero nihil tam pravum occurrit, communiter censem (S. Alph. I. 7. n. 284) unam paginam, quidam (Hollweck, p. 23; Vermeersch, n. 28) non improbabiliter, fere sex legi posse sine culpa gravi. Haec mensura gravis reatus applicanda erit etiam publicationibus periodicis in fasciculos ligatis: hae enim etiam quoad censuras libris assimilantur. (Vol. II. n. 587)

At pro diariis et foliis periodicis, paulo benignius de culpa legentium judicandum arbitramur, ne in destructionem potius quam in aedificationem cedat eorum proscription. Profecto grave erit ea legere habitualiter, vel scienter in singulis foliis legere tractum notabilem quo religio aut boni mores impugnentur: id enim, saltem e rei natura et abstrahendo a peculiaribus legentis dispositionibus (quae in regula pro omnibus posita non videntur attendendae), constituet hominem in proximo periculo gravis damni pro fide vel moribus, quod praesertim avertere voluit Ecclesia, ut e tenore a. 21 liquet. Ob rationem contrariam, non censemus graviter peccare eum qui, absque consuetudine, legit tantum in singulis foliis ea quae nullam vel brevem religionis morumve oppugnationem continent. Accedit ratio: in diariis multo facilius quam in libris caveri posse a locis pravis, cum certae eorum partes, puta quae nuntiis politicis vel negotiatoriis destinantur, de fide vel moribus prorsus tacere soleant. Practice, cum iis qui habitualiter prava diaria legunt severum se praebere debet confessarius, antequam constiterit nullum periculum proximum ex hujusmodi lectione oriri, etiamsi de iis diariis ageretur quae neque sub hanc Pontificiam prohibitionem, neque sub speciale proscriptionem Ordinarii cadant: habitualis enim eorum lectio fere semper sensim sine sensu fidem vel mores corruptet. (1) Verum, ubi poenitens aut non ita assidue prava diaria legit aut, ob quamlibet rationem, experientia dignoscitur a periculo proximo immunis esse (n. 240), saepe prudentis confessarii erit positivam prohibitionem reticere vel parum urgere, ne quid deterius contingat. Tandem non videtur peccare contra prohibitionem legis ecclesiasticae qui in casu singulari, justa causa urgente, legit diarium proscriptum, ubi e lectione nullum periculum vel scandalum timendum est, nec commode peti potest licentia legendi: nam a levi prohibitione positiva excusat causa rationabilis, quae praesertim pro diariis non ita raro occurrit, puta ad nova scienda dum nullum bonum diarium praesto est.

(1) Praeclare de hoc argumento agunt Episcopi Belgii Epistola ad fideles suos data 5 Aug. 1843 et Em. Dechamps, Archiep. Mechliniensis epistola data 19 Sept. 1869. Cfr. Stat. Syn. Mechel. Append. XXVII.

**456. II. Retentio** libri in hoc sita est quod quis penes se servat librum vel proprium vel alienum, puta depositum vel locatum. Ut autem retainio sit peccatum mortale, necesse est ut liber servetur per tempus notabile: quare levis videtur retainio per biduum vel triduum, immo etiam diuturnior si quis exspectaret legendi veniam. (D'Annib. III. n. 142. nota 18) Hinc excusari poterunt qui libris compingendis vitam alunt, si quando pravos aliquamdiu retinere debeant: ab hac enim retentione per se levi excusat notabile incommodum quod artifices isti in recusando officio suo paterentur, et faveat usus cui nihil in praesenti Constitutione diserte adversatur. (Arndt, op. cit. p. 235)

Cum prohibitione retainendi libros pravos coniectur prohibitio eosdem vendendi. Hanc pro bibliopolis expressit praesens Constitutio: quae a fortiori ceteris fidelibus servanda sunt, quippe qui nulla artificii ratione excusantur. Nempe statuit a. 46: "Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscaenis ex professo tractantes neque vendant, neque commoden, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a S. Indicis Congr. veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti." In priore parte hujus articuli, procul dubio habenda est ratio exceptionis quae a. 10 (n. 452) facta est pro libris classicis turpia ex professo tractantibus. Clare indicat altera pars articuli sub qua condicione tantum liceat bibliopolis venales habere libros prohibitos, seu eos exponant publice, seu occulte retineant. Ad prudentem existimationem, quae ibidem requiritur ut singulis vendantur, satis esse videtur ut, spectata natura libri et condicione ementis, hic rationabiliter praesumi possit debita facultate vel ratione instructus, nec tenentur bibliopolae emptorem specialiter de hac licentia vel ratione interrogare: quod onus gravissimum foret. (Marc. Th. Mor. I. n. 524) Idem sufficere censemus ut procurent petenti librum quem in officina sua non habeant.

Non videtur hoc a. 46 prohiberi quominus libros vetitos, sed non ex professo obscaenos, vendat qui solet libros licitatione vendere: hic enim non tam *venales* habet libros quam vendenti operam suam praestat. Haec autem cooperatio ex ejus condicione cohonestatur: denegari enim generatim non posset sine magno damno, saltem quando pauci libri pravi inter multos bonos vendendi committantur et facillime alias qui venderet reperiretur. (Heymans. De eccles. librorum prohibitione, n. 356) Sed articulo praefato subjacere ducimus licitationem qua bibliopola proprio nomine vendat libros undique coemptos, cum sic illos proprio nomine venales habeat. Immo, cum libri in tali venditione necessario cedant plus offerenti, necesse erit ut, ex eorum natura et condicione emptorum qui concurrere solent, prudenter praesumi possit eos legitime emptum iri.

In hac nova Const. jam non praecipitur ut libri pravi Ordinariis locorum vel Inquisitoribus tradantur, prout antea praecipi solebat. Sufficit ergo eos vel destruere vel ei qui retinendi facultatem habeat tradere. Idem per se praestandum erit si liber pertinet ad alium facultate carentem : licebit tamen librum reddere domino, si aliter vitari nequit notabile incommodum, ex. gr. si dominus ob omissam restitutionem amicitiam rumperet, gravem tristitiam pateretur, etc. (Berardi, de Recid. II. p. 248)

**III. Impressio** principaliter fit ab editore, typographiae domino et auctore, si auctoris cura liber editur. His quidam cooperantur proxime, quidam remote. (n. 240) Priores tantum proprie *imprimentes* dici merentur, ideoque culpam ex genere suo gravem admittunt, quamvis mere materialiter cooperentur. Postiores, ob rationem contrariam, sub legem positivam non cadunt, puta corrector (qui tamen legem violabit, impressa legendu). Cfr. D'Annib. I. c. nota 19. Quatenus autem vel proxime vel remote cooperantes ratione gravis incommodi excusari possint, satis patebit ex iis quae de prohibitione juris naturalis dicta sunt n. 240.

Huc facit a. 31 : " Libros ab Ap. Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere : quodsi, ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius S. Indicis Congr. licentia, servatisque condicionibus ab ea proscriptis. " Haec prohibitio probabilius non pertinet nisi ad libros nominatim a S. Sede proscriptos : qui enim tantum sub regulas generales cadunt minus proprie dicerentur a S. Sede proscripti. Igitur nominatim proscriptos iterum edere graviter illicitum est, etiamsi errores corrigitur vel notis additis refellantur. Cfr. Arndt, op. c. p. 124. Verum hac lege, quae quoad substantiam nova non est, non videtur prohiberi quominus edantur miscellanea litteraria (chrestomathies) similesve libri in quibus recuduntur, cum aliis multis, loca excerpta e libris prohibitibus, dummodo ea loca non sint tam multa tamque ampla ut moraliter iterum edatur opus proscriptum : sic enim et usus dudum habet, et non raro necessarium est ad litteras docendas vel discendas, ad errores refellendos, etc. Si agitur de edendo iterum libro auctoris classici e professo obscaeno, cfr. dicta n. 452.

**457. IV. Defensio** libri prohibiti fit ab eo qui commendat doctrinam libro contentam vel ipsum librum injuste damnatum esse contendit, minime vero ab eo qui laudat tantum styli elegantiam aliasve bonas operis dotes. (Lugo, I. c. n. 94) Alii (S. Alph. I. 7. n. 285) etiam illum comprehendi censem qui facto librum defendat, puta impediendo ne destruatur. Sed, cum Penn. (n. 38) existimamus eum non violare praesentem prohibitionem, quamquam aliunde peccare potest. Ratio potis-

sima desumitur e Const. Bened. XIV *Sollicita* § 10, ubi defensio de solis verbis explicatur.

**V. Licentiam** legendi quoscumque libros prohibitos concedere possunt tum S. C. Indicis, tum S. C. Inquisitionis, tum, pro regionibus sibi subjectis, etiam S. C. de Prop. Fide. (n. 24) Episcopi vero aliquae praelati jurisdictione quasi-episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valent. (a. 25) His praelatis accensendi sunt Superiores Regularium exemptorum, non tantum generales et provinciales, sed, juxta communem sententiam, etiam locales (Piat. Prael. J. Reg. I. p. 493) : qui tamen singuli sunt in singulis domibus. Praeter hanc facultatem ordinariam ideoque delegabilem, sed magis restrictam, solent episcopi et quandoque praelati Regulares habere ampliorem facultatem a S. Sede ad tempus conces-sam : quatenus haec subdelegari possit, dictum est n. 119.

De extensione hujus licentiae monet a. 26 : " Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. " Hinc patet habenti facultatem legendi *libros* a quibuscumque damnatos implicite permitti *ephemerides* ab Ordinario proscriptas, ac proinde in generali facultate legendi libros prohibitos contineri etiam licentiam legendi ea diaria et folia periodica, quae a S. Sede prohibentur. Verum eadem licentia non continetur in facultate generali quae in quibusdam dioecesis fit omnibus parochis et confessariis permit-tendi, ob justam causam, diariorum pravorum lectionem. (Stat. Syn. Mech. n. 170) Haec igitur facultas valebit tantum pro diariis quae Ordinarius proscripterit, praeter ea quae sub a. 21 cadunt : nisi forte licentiam a S. Sede obtentam sacerdotibus suis Ordinarius com-municaret.

Si quis obtinuit facultatem legendi libros prohibitos, meminisse debet " gravi se pracepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant. " (a. 26) Quodsi eamdem obtinuit ad unum finem, puta ad errores refellendos vel ad studia promovenda, non peccat contra legem ecclesiasticam, si eosdem legit ob alium finem, puta ob curiositatem. Nam Superior absolute dispensavit, et manet saltem altera ratio dispensationis, scil. quia Superior praesumpsit non imminere periculum legenti. Excipiens foret casus quo licentia data esset cum limitatione expressa, seu quatenus necessitas vel utilitas lectionem postulat. (Ball. P. App. cit. n. 22) Semper cavendum ne violetur lex naturalis de vitando proximo peccandi periculo.